

ria inopiam devenerant, ut nisi aliena ope adjuti essent, 1437
 appareret cives non multo post vel invitos deditio-
 nem fa-
 cturos. Objecerat ad hæc Sforcia, se Picinino Lucensibus
 auxilium ferenti in ipsis Apennini angustiis: reque parum
 feliciter tentata, hostis, desperato transitu, post varios co-
 natus cessit. Instabant Veneti qui in armis erant, ut ac-
 cissi Lucensium rebus, ita ut ab illis deditio omnino fa-
 cienda esset, Sforcia cum parte copiarum in Galliam trans-
 iret. Siquidem in animo habebant, Abdua superato, præ-
 sidioque in ulteriore ripa imposito, Mediolanensem agrum
 invadere, unde Philippum pecuniarum vim ingentem exi-
 gere constabat. Apparebat, eo sæde populo, ferocissimi
 hostis opes ita accisum iri, ut armorum (cujus rei appe-
 tentissimus esset) oblitus, ad pacem quibuscunque condi-
 tionibus amplectendam cogeretur. Id Florentini indigne
 ferre, Venetisque ex eo invidiam facere: quasi pati non
 possent, Lucam, urbem in Hetruria non ignobilem, in so-
 ciorum potestatem venire. Sed tantum abfuit, ut Veneti
 in id crimen devocari debuissent, quod confestim, despe-
 rato Sforciæ accessu, Franciscum Gonzagam, suarum co-
 piarum Imperatorem creatum, ad eam expeditionem mise-
 rint. Erat tunc, ut dixi, Bononiæ Eugenius, quo se ex
 Florentia contulerat, ut certo aliquo eam firmaret præsi-
 dio. Ad portam igitur, quæ *Galera* dicitur, muro, fos-
 sis, & aggeribus locum in speciem arcis summa ope mu-
 niendum curavit. Ea munitionis ratio, & Antonii Bente-
 volii cædes (quem noviter in urbem restitutum, quia po-
 pulo charissimum videbat, Baldeffar Offidanus urbis præ-
 sectus securi percusserat) ita Bononiensium animos a Pon-
 tifice alienarant, ut defectio, quæ non longo interjecto
 tempore postea secuta est, his causis, non aliis ullis,
 orta dicatur.

Sed dum Eugenius Bononiæ esset, Joannes Palæologus
 Græciæ Imperator, cum Josepho Constantinopolitano An-
 tistite, Demetrio Peloponnesi Principe, Alexandrinæ, An-
 tiochenæ, Hierosolymitanæque Ecclesiæ procuratoribus,
 Trapezuntinis legatis, Iberorumque & Misiorum Metropo-

*Constanti-
 nus Palæo-
 logus Imper-
 ator &
 mulci Anti-
 stites Ferra-
 riam cum
 Pontifice de
 re Christiana
 acturi
 conveniunt.*